



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano**

**Erasmus, Desiderius**

**Lypsi, 1516**

**VD16 E 2746**

Contra Ambitionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33324**

tur. Stultus ille evangelicus, cui dictum est, hanc nocte repetit Luc. 12  
a te animam tuam, & hanc quae congregasti, cuius erunt? Si  
mentem a depravatis vulgi moribus ad Mariae, apostolorum,  
martyrum, maxime Christi capitis tui paupertatem flexeris,  
semperque vae illud tibi metuendum esse statuas, quod ille dis  
uitibus huius saeculi minatus est. Luce, 6

**Ambitionis  
remedia**

**¶ Contra Ambitionem.**

Si quando incantamentis suis tentabit animū tuū ambitio, his  
remedijs eum praemunies, Statim iuxta ea quae superius tradi  
dimus/hoc mordicus teneto, solum eum honorem esse, qui a  
vera virtute proficitur, quem ipsum tamen oportet interdū  
fugitare, quemadmodum & sermone & exemplo nos docuit  
Christus Iesus. Vnicum autē honorē, & homini Christiano  
expetendū esse, nō ab hominibus/sed a deo collaudari. Etenim  
quem ille cōmendat ( vt inquit Apostolus ) is deum pro  
batus est. Honor autem, si ab homine defertur, ob rem inho  
nestam, utique a turpibus, non honor iste, sed ingens est pbrū.  
Si ob mediā, puta formam, vires, opes, genus, ne tum quidē  
honor recte dicetur. Nemo enim promeretur honorē ea re,  
qua non meretur laudari. Si ob honestam, honos quidē erit,  
at non appetet, qui promeret, ipsa nimirū virtute & conscie  
tia recti contentus. Vide igitur quae deridiculi sint honores isti,  
quorum cupiditate tantopere vulgus aestuat. Primū enim a  
quibus tandē dantur? Nempe ab ijs, quibus nullū discrimen honesti  
atque ihonesti. Ob quae? Plarūque ob mediā, nōnūque ob turpia.  
Cui? Indigno. Quisquis igitur honorem exhibet, aut metu fa  
cit, & vicissim est metuendus, aut vt pro sis, & ridet te, aut quia  
miratur res nihili nulloque honore dignas, & miserandus est,  
aut quia te iudicat his rebus ornatum, quibus honos debeat,  
quod si falso opinatur, cura vt fias id, quod ille te putat esse. Sin  
vere, omnem honorē tuū in eum refer, cui debes & illa quibus  
honos tribuit. Tam non cōuenit tibi arrogare honorē, quae nō  
debes tibi arrogare virtutem. Alioqui quid amentius, quae tui  
precii de hominū opinionē metiri? Quibus in manu

**Honor huius  
saeculi quae falsus  
est.**

est simul atq; collubuit, hoc ipsum honoris quod largiuntur  
 rursus auferre, ac te modo honestatum dehonestare. Proinde  
 nihil stultius, q̄ talibus honoribus, vel gestire, quum contine-  
 gunt, vel ringi/quum auferuntur. Quos veros non esse, vel  
 hoc intelliges argumento, quod sunt cum pessimis & celera-  
 tissimis cōmunes. Imo nullis fere contingunt copiosius, q̄ ijs  
 qui sunt veris honoribus indignissimi. Cogita q̄ beata tran-  
 quillitas modestæ priuataq; et ab omni superbicæ strepitu ses-  
 motæ vitæ. Contra q̄ spinosa, q̄ plena curarum, periculorū,  
 dolorum, vita potentium. Quā difficile secundis in rebus, non  
 obliuisci sui. Quā arduum in lubrico stantē non cadere. Quā  
 capitalis ex alto ruina. Omnē honorem cum summo onere  
 coniunctum esse. Quā seuerum iudicium sup̄ami iudicis in  
 eos futurum sit, qui hic sese in honoribus vsurpandis, cæteris  
 anteposuerunt. Etenim qui sese demiserit, ei vt pusillo succur-  
 ret misericordia. Qui vero sese vti spectatum erigit, is sibi ipsi  
 gratiæ subsidium intercludit, Christi capitis exemplum semp  
 animo inhereat tuo. Quid illo secundū sæculum ignobilius,  
 despecti⁹, inhonorati⁹? Quā fugit honores etiā oblatos, q̄ q̄  
 uis honore maior erat. Quam derisit asello sedens. Quā dam-  
 nauit palla te ctus, & spinis coronatus. Quam non gloriosam  
 mortem eligit. Sed quem mundus contempsit, hunc glorifica-  
 uit pater. Tua gloria sit, i cruce Christi, in qua & salus est tua.  
 Quorsum tibi humani honores, si te reŋciat, despiciatq; de⁹,  
 execrentur angeli:

Luc. 14

Ioan. 6

Ioan. 12

Gal. 6

¶ Contra ælationem tumoremq; animi.

Non intumesces animo, si iuxta tritissimū illud Adagiū cog-  
 noris temetipsum, id est si quicquid in te magnum, quicquid  
 pulchrum, quicquid præclarum, id dei munus, non tuū bonū  
 esse ducas. Contra quicquid humile, quicquid sordidum, quic-  
 quid prauū, id totū ad te solum referas. Si memineris, quantis  
 in sordibus conceptus sis, quātis natus, q̄ nudus, q̄ inops, q̄  
 brutus, q̄ miserandus in hāc lucem prorepsersis. Corpusculū  
 illud/quot vndiq; morbis, quot casibus, quot erumnis expo-

Superbicæ reme-  
dia.